



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Sect. I. Vtrùm peccatum, quod sit in ipso instanti baptismi, sit materia
Sacramenti Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

imperante ipsam, nec ipsa erit formaliter libera. Quod probari potest eodem modo de illa tertia, & de aliis omnibus, si nulla est, quæ non imperetur ab alia: Imò nec habebunt libertatem denominationis: quia volitio denominationis libera, denominatur libera ab aliqua quæ sit formaliter libera: sed in Deo nulla voluntas esset assignabilis quæ esset formaliter libera, singulæ enim imperantur ab alia: ergo nulla esset à qua possent aliæ denominari libertate denominationis.

248.

Responderi potest; negando, Deum posse habere illa infinita imperia, propter illa eadem inconuenientia, quæ in obiectione afferuntur, quia nimirum nullus actus esset formaliter liber. Neque ex hoc sequitur, quod habeat puram omissionem, habet enim aliquem actum quo vult non habere vllum imperium saltem præter aliquam, quæ fortasse habet: hic autem actus essentialiter non potest imperari, quia ipse excludit omne imperium, sicut cognitio, quæ Angelus cognoscit, se non habere vllam aliam cognitionem, non potest cognosci per alium actum reflexum, quia iam esset falsa. Imò si Angelus habeat capacitatem ad habendos simul decem solos actus voluntatis, & imperaret sibi vno actu alios nouem, ille actus imperij, per suam naturam non posset imperari ab alio, quia destrueret suum obiectum; Nam deberent esse iam simul vndecim actus: potest ergo Deus absque pura omissione habere actus voluntatis non imperatos. Post hæc autem scripta editus est tomus primus Patris Ioannis Martinez de Ripalda de ente supernaturali, vbi disp. 50. latè probat hanc nostram sententiam, apud quem multa videri possunt in eius confirmationem.

DISPUTATIO XVI.

De integritate Confessionis, seu de peccatis, quæ possunt, vel debent esse materia Confessionis.

- SECT. I. *Virum peccatum quod sit ipso instanti Baptismi sit materia Sacramenti pœnitentiæ?*
- SECT. II. *Aliqua alia dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim de peccatis dubiis.*
- SECT. III. *Virum circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem sint necessariò confitendæ?*
- SECT. IV. *De circumstantiis in particulari, & primo de circumstantia, Quis.*
- SECT. V. *De secunda circumstantia, Quid, & præsertim prout se tenet ex parte rei volute.*
- SECT. VI. *De eadem circumstantia, Quid, prout se tenet ex parte personæ, ad quam terminatur peccatum.*
- SECT. VII. *Virum pœnitens possit, & debeat explicare in confessione complicem suum peccati?*
- SECT. VIII. *Virum aliquando possit Confessorius obligare pœnitentem ad declarandum complicem, quando id necessarium*

non est ad declarandum integrè totum suum peccatum?

- SECT. IX. *An debeat explicari effectus subsequens: an vero sufficiat confiteri causam? Vbi etiam de actu externo*
- SECT. X. *De circumstantia, Vbi.*
- SECT. XI. *De circumstantia, quibus auxiliis, & circumstantia, Cur.*
- SECT. XII. *De circumstantiis, Quomodo, & Quando.*
- SECT. XIII. *An possit taceri circumstantia aliqua propter detrimentum, quod sibi, vel alteri pœnitens timet?*
- SECT. XIV. *De integritate confessionis quoad numerum peccatorum explicandum.*
- SECT. XV. *Quando confessio peccatorum reiteranda sit?*
- SECT. XVI. *An repetenda sit confessio peccati integri, quando omissa fuit circumstantia; vel sufficiat confiteri solam circumstantiam omisam?*



ERTVM est, omnia peccata hominis Christiani post Baptismum commissa, esse posse materiam huius Sacramenti. Difficultas prima est de peccato illo, quod in ipso instanti, quo Baptismus recipitur, & character, aliquando fortasse committeretur, an possit, & consequenter debeat esse materia confessionis sequentis, si mortale fuit?

SECTIO I.

Virum peccatum, quod sit ipso instanti Baptismi sit materia Sacramenti Pœnitentiæ?

Peccata quidem omnia, quæ ante Baptismum commissa sunt, non debent, nec possunt esse materia huius Sacramenti, ut constat ex Tridentino sess. 14. cap. 2. De peccatis vero, quæ sunt simul cum ipso Baptismo: Aliqui dicunt, omnia esse materiam confessionis sequentis, quia iam sunt peccata hominis Christiani, & baptizati atque idcirco domesticæ Dei, & subditi Ecclesiæ. Alij distinguunt inter peccatum fictionis, seu voluntatis recipiendi Baptismum absque dispositione debita, & inter alia peccata odij, v.g. luxuria, furci &c. Hæc enim dicunt, etiam si fiant ipso ultimo instanti, quo terminatur Baptismus, non esse materiam Confessionis, illud vero, scilicet, peccatum fictionis dicunt debere postea in confessione explicari: cui distinctioni dedit occasionem S. Thomas supra quest. 69. art. 10. ad 2. & 3. vbi videtur aliter loqui de fictione, & de aliis peccatis, Alij denique omnia peccata tunc existentia dicunt debere explicari in confessione, non tamen sub ratione speciali odij, vel furci, v.g. sed solum quatenus continent malitiam fictionis: per illa enim omnia, & singula impeditur effectus Sacramenti, atque adeò sub ea ratione omnia illa habent speciem fictionis. Hæc sunt Doctorum placita, de quibus videri potest Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 28. sect. 5. Valquez, 2. tom. disp. 159. & alij Recentiores.

Dico primò: quæstio hæc nullo modo est practica, sed omninò speculatiua. Nam in praxi certum est, omnia illa peccata debere explicari in Confessione subsequenti, tanquam materiam necessariam, nemo enim scire potest aliquod peccatum durasse toto

toto tempore antecedenti, & ipso etiam instanti ultimo terminatio baptismi, vel solo illo instanti; & tamen non fuisse continuatum vlllo modo per aliquod temporis sequentis. Hoc, inquam, impossibile est quod discernatur: cum neque sciat homo, quando terminatum fuerit Sacramentum Baptismi: neque etiam, quando metaphysicè desierit voluntas illa interior mala, quæ erat peccatum actuale; nam de illa loquimur, non de actu externo, qui si fortè duret aliquandiu post actum internum, iam pro tunc non tam erit peccatum actuale, quàm effectus peccati, sicut pollutio sequuta in ebrietate, vel somno prauis, & voluta prius, non tam est peccatum tunc, quàm effectus peccati. Cum ergo homo non possit scire, an illa voluntas mala desierit simul cum baptismo, vel continuata fuerit; debet illam postea confiteri, saltem tanquam peccatum; de quo dubitat, an fuerit factum post baptismum, atque ideo in praxi omnia illa sunt materia necessaria confessionis. Vnde fit, debere etiam omnia illa explicari secundum malitias proprias odij, furij, &c. & non solum sub ratione fictionis: quia cum sit dubium, an commissæ fuerint etiam post baptismum, debent explicari secundum proprias species, sicut alia omnia peccata, quæ sunt post baptismum propter eandem rationem.

Dico secundo, loquendo non iam practicè, sed speculatiuè de peccato illo; procedere possumus iuxta diuersas Physicorum sententias. Aliter enim loquendum existimo in sententia communi componente tempus ex partibus diuisibilibus in infinitum: aliter verò in sententia illa, quæ tempus, & durationem componit ex instantibus solis finitis immediatis. Nam in sententia communi faciliè explicari potest, quomodo tam peccata omnia, quàm peccatum fictionis præsens baptismo pertinere debeat ad confessionem sequentem. Suppono enim, baptismum non compleri, nec producere suum effectum in aliquo instanti terminatiuo, sed potiùs in tempore, quia prolatio verborum, aut ablutio, cum sit motus successiuus, non potest in illo instanti accipere aliquid, ratione cuius sit loquutio significatiua, vel ablutio, & sine quo non esset, absque illo terminatiuo esset verò motus successiuus: & significaret, quod ex professo probauimus in *disputatione 4. de Sacramentis in genere, section. 6.* de omnibus Sacramentis, de quibus in vniuersum dixi iuxta communem illam Philosophiam dicendum esse, quod producant gratiam in tempore. Quo supposito sequitur manifestè, peccatum illud siue fictionis, siue quoduis aliud esse materiam necessariam Sacramenti penitentiae. Nam vel illud peccatum terminatum est illo instanti, quod immediatè præcedit complementum baptismi, & productionem gratiæ, in quo verum est dicere, nunc nondum est baptismus completus, nec character, sed immediatè post erit; & quidem, si peccatum est vltimò in illo instanti, non verò immediatè post, non pertinet ad Sacramentum penitentiae; quia nunquam fuit peccatum hominis baptizati, & habentis iam characterem, cum illo instanti, quo peccatum vltimò fuit, nondum esset character. Si verò peccatum continuatum fuit pro tempore illo quo baptismus completur, & character producitur, certum etiam videtur quod pertineat ad Sacramentum penitentiae: quia cum quodlibet tempus sit diuisibile, non potuit continuari peccatum pro tempore illo, quin continuetur, postquam character est iam productus: cum enim in toto illo tempore sit character, consequens est, vt in secunda medietate illius temporis verum sit, quod peccatum perseverat, postquam character iam erat, nam

in priori medietate character fuit, atque aded peccatum illud debet explicari necessariò, tanquam peccatum continuatum post baptismum, & characterem. Vnde etiam constat explicandam esse speciem illius peccati, odij scilicet, vel furij, &c. propter eandem rationem, sicut de omnibus aliis peccatis, quæ sunt post baptismum.

Dico tertio: Si aliquis contendat, baptismum compleri vltimò, & producere suum effectum in instanti vltimo terminatiuo intrinseco, siue quia velit, tempus omne componi intrinsece ex solis instantibus, siue quia opinatur, non posse effectum indiuisibilem, qualis est character produci in tempore, sed debere incipere intrinsece in instanti: Tunc quidem, si aliter loquendum esset de peccato fictionis, quàm de aliis peccatis illius instantis: maior fortasse videtur esse ratio, vt diceretur peccatum fictionis non esse materiam Sacramenti Penitentiae, quàm vt diceretur de aliis peccatis. Hæc videtur esse contra illos, qui distinguunt inter peccatum fictionis, & alia peccata, ita vt peccatum fictionis, & non alia, deberet esse materia confessionis sequentis. Hæc tamen differentia inter eiusmodi peccata non videtur habere fundamentum solidum, imò magis posset, vt dixi, dubitari de peccato fictionis, quàm de aliis. Porro non esse excludenda alia peccata, si non excluditur peccatum fictionis probatur, quia, tam cætera, quàm fictio sunt peccata hominis baptizati, fidelis existentis intra Ecclesiam, &c. ergo si peccatum fictionis subditur clauibus Ecclesiæ in Sacramento penitentiae, cætera etiam subdi debent clauibus.

Dices, illud solum peccatum debere subdi Ecclesiæ clauibus in hoc Sacramento, quod subsequitur baptismum, & præsupponitiam hominem intra Ecclesiam per baptismum susceptum, saltem, pro aliquo priori naturæ: peccatum autem fictionis habet hoc peculiare, quod possit aliquando esse posterius naturæ, quàm susceptio baptismi: potest enim pro priori velle aliquis baptizari, & rursus ex hoc ipso potest moueri ad habendam dispositionem debitam; tunc autem sic omittat hanc dispositionem, illa omisso erit post baptismum, quem iam supponit ex vi prioris voluntatis, quæ præcessit: erit ergo iam illa omisso posterior naturæ, quàm baptismus, non quia oriatur ex baptismo, sed quia est omisso dispositionis, ad quam habendam mouebat baptismus susceptus.

Sed contrà, quia in primis hoc non probat de omni peccato fictionis in illo instanti contingenti, non enim semper mouetur aliquis ex baptismo suscepto ad hoc, vt habeat dispositionem, sed potiùs contingit, quod ipsa voluntas baptismi sit mala, vel quia est ex fine malo mortali, vel quia est in iis circumstantiis, in quibus prauideretur non posse esse dispositionem debitam, quod quidem semper moraliter contingit; nam qui antea non est dispositus, non potest moraliter in illo instanti ex cognitione baptismi excitari ad habendam tunc dispositionem debitam: quare ipsa voluntas recipiendi baptismum sine dispositione antecedenti erat mala antecedenter ad baptismum, & in illa consistebat totum peccatum fictionis, vel saltem tota eius malitia.

Deinde hoc ipsum inueniri etiam posset in aliis peccatis quæ sunt illo instanti: nam sicut ex consideratione baptismi potest moueri homo ad habendam dispositionem debitam, & ided omisso dispositionis posset esse tunc posterior baptismum, sic etiam ex eadem consideratione baptismi suscepti posset moueri homo ad non furandum, vel non habendum odium: hæc enim peccata dedecent ma-

4.
Non minus
peccata alia,
quàm fictio
deberet esse
materia pe-
nitentiae.

5.

6.

7.

gis hominem baptizatum, atque aded furtum, vel odium erit posterius natura baptismi, ex cuius consideratione potuit illud peccatum impediri: ergo sicut propter hanc posterioritatem naturæ dicis, peccatum fictionis debere declarari in confessione, sic propter eandem posterioritatem naturæ debes dicere, quod furtum, vel odium debent explicari in confessione, vt remittantur per claves cum non minus hæc peccata, quàm peccatum fictionis inueniant hominem iam baptizatum, & subditum Ecclesiæ, atque aded peccata, quæ pro eo signo sunt, debent explicari quoad proprias species in confessione, sicut peccata, quæ sunt tempore sequenti, in quo etiam homo est subditus Ecclesiæ.

8. Tertiò denique totum hoc non probat, quod peccatum fictionis sit tunc posterius natura, quàm baptismus, sed solum, quod sit posterius natura, quàm voluntas suscipiendi baptismum. Homo enim non mouetur ad habendam dispositionem debitam ex cognitione baptismi suscepti, cum non videat characterem, nec discernat indiuisibile terminatum baptismi, sed mouetur ex illo, quod experitur; scilicet, voluntate suscipiendi baptismum, atque aded hæc voluntas ad summum præcedit prior naturæ ante peccatum fictionis, non verò ipse baptismus: præsertim quia licet homo experiat etiam absolutionem, vel verba formæ, hæc tamen cognitio non potest mouere pro eo instanti quo Sacramentum completur ad habendum dispositionem debitam, quia hæc experimentalis cognitio intrat communiter per auditum quo audiuntur verba, vel per tactum, atque aded non fit instantaneè, quia species ad auditum veniunt successiuè non instantaneè, & tactus etiam non mittit speciem ad sensum internum eo instanti, quo applicatur manus ignis, vel aquæ vt docet experientia, non enim sentimus statim frigus, vel calorem, sed post aliquam morulam breuem: non ergo mouet baptismus cognitus eodem instanti, quo fit ad habendam dispositionem debitam, sed ad summum voluntas suscipiendi baptismum, & per consequens hæc sola erit prior natura, quàm ommissio dispositionis debitæ: non est ergo maior ratio de peccato fictionis, quàm de aliis, vt debeat esse materia confessionis sequentis.

9. Dixi tamen esse fortasse maiorem rationem de aliis peccatis, quàm de peccato fictionis, seu susceptione indigna baptismi; quia posset aliquis contendere, cetera peccata illius instantis posse pertinere ad iudicium, & censuram Ecclesiæ, non verò susceptionem indignam baptismi. Ratio autem discriminis reddi posset ex eo, quod licet cetera omnia peccata posset Ecclesia prohibere illo instanti homini baptizato, non tamen potest illi directè prohibere susceptionem indignam baptismi: non potest enim directè præcipi, aut prohiberi aliquid, nisi ei, qui aliunde subditus est, atque ided non subdito non potest prohiberi directè, ne fiat subditus, quia si non fiat subditus, non obligatur præcepto eius, quia non est superior ipsius; ergo si fiat subditus, non facit contra prohibitionem, cum nulla præcederet prohibitio superioris legitimi: non potest ergo Ecclesia prohibere directè indignam susceptionem baptismi ei, qui nondum est subditus Ecclesiæ, nec supponitur subditus, antequam violet illud præceptum: Ergo ex hoc capite peccatum illud posset iudicari non pertinere ad iudicium, & censuram ipsius Ecclesiæ. Alia verò peccata illius instantis possent pertinere ad iudicium Ecclesiæ, quia per illa non fit homo subditus Ecclesiæ, sed per baptismum tunc susceptum: possunt ergo illi, qui aliunde est subditus, præcipi, & pro-

hiberi alia peccata, independentè à quibus est iam subditus Ecclesiæ eo instanti. Dixi autem semper, Ecclesiam non posse directè prohibere non subdito indignam susceptionem baptismi: quia indirectè bene potest, prohibendo, scilicet: Ministris Ecclesiæ, ne illum recipiant ad baptismum, nisi tali modo, & cum tali dispositione, &c. quo casu iam ipsemet baptizandus obligaretur indirectè; saltem ne cooperaretur peccato ministri Ecclesiastici, vel ex aliis capitibus. Ceterum directè non posset Ecclesia illum obligare, cum non sit capax Ecclesiasticæ obligationis, nisi per ipsammet susceptionem baptismi.

Loquendo autem absolute, an peccata illius instantis tam peccatum fictionis, seu susceptionis indigni baptismi, quàm cetera omnia, prout præcise sunt in illo instanti sint materia confessionis sequentis: mihi quidem olim probabilior videbatur pars negans: quam quoad alia peccata præter peccatum fictionis docent communiter Thomistæ: quoad omnia verò in vniuersum videtur docere Syluester in summa verbo Baptismus 4. num. 11. vbi dicitur contritionem requiri postea pro peccatis subsequenibus baptismum: pro peccato autem ipso fictionis refert sententiam Paludani, quam videtur approbare, quod sufficiat attritio, vt virtute baptismi præteriti auferatur. Eandem indicare videtur S. Thomas, & alij antiqui fere, omnes, qui de solis peccatis subsequenibus baptismum dicunt esse materiam confessionis. Expressè eandem docet Ioannes de la Cruz Dominicus in directis confessionis quæst. quarta de baptismo, & alij Recentiores Salmanticenses.

Colligi autem videtur ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. vbi dicitur expressè, Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Vnde postea infert, si aliquis ingrediatur Ecclesiam, & postea se crimine aliquo contaminauerit; hunc ante hoc confessionis tribunal reum comparere debere & denique in fine capitis concludit, hoc Sacramentum necessarium esse lapsi post baptismum. Quæ omnia videntur requirere, peccatum, quod est materia huius Sacramenti, fieri post baptismum & non ante, vel simul cum ipso baptismo. Iam enim Ecclesia exerceret iudicium in aliquem, qui non prius in ipsam per baptismum fuisset ingressus: iam fuisset necessarium Sacramentum pœnitentiæ eis etiam, qui post baptismum non sunt lapsi, nec postea se aliquo crimine contaminauerunt. Eandem doctrinam repetit cap. 5. in principio, vbi dicitur, institutam esse à Christo Domino confessionem omnibus post baptismum lapsi necessariam: Idem definitur can. 1. institutum scilicet, esse hoc Sacramentum pro fidelibus reconciliandis, qui post baptismum labuntur.

Respondent primò aliqui, Concilium ibi dixisse id, quod certum erat, scilicet, peccata post baptismum commissæ esse materiam huius Sacramenti, non tamen negasse id, quod in opinione erat de peccato in ipso baptismo commissæ, sed abstinuisse ab illa quæstione. Hæc tamen interpretatio difficilis videtur: primò ex verbis adductis, in quibus dicitur Ecclesiam non exercere suum iudicium in eum, qui prius non fuerit ingressus: quibus verbis innuatur peccata illa, quæ non sunt ab eo, qui prius fuerit Ecclesiam ingressus, non subdi Ecclesiæ iudicio.

Secundò, quia in assignanda materia Sacramentorum, eo ipso quod à Concilio assignatur vna, videtur excludi omnis alia, quæ non sit illa saltem æquiualeuter. Nam eo ipso quod in Florentino dicitur

dicitur materiam baptismi esse aquam naturalem, excluditur aqua artificialis, & quando assignatur pro materia Eucharistiæ vinum ex vite, excluditur vinum ex pomis, & sic de aliis. Ergo cum in Tridentino assignentur toties pro materia peccata post baptismum commissâ, seu confessio peccati post baptismum commissi, eo ipso excluditur peccatum non commissum post baptismum.

14. Alij respondent secundò, peccatum illud fictio- nis esse peccatum commissum post baptismum; quia baptismus prius producit characterem, quam gratiam: tum quia ad producendum characterem nullam requirit dispositionem, sicut requirit ad gratiam; tum etiam, quia character ipse censetur, quasi potentia saltem moralis in ordine ad produ- ctionem gratiæ: ergo obex positus per peccatum actualis fictionis ad effectum gratiæ supponit iam hominem habentem characterem, & baptizatum, atque adeo illud peccatum est posterius baptismo. Ita ferè P. Suarez *dicit. sect. 5. post tertiam conclusio- nem*, cum aliis.

15. Hæc tamen responsio non videtur satisfacere, primò quia licet character non supponat disposi- tionem, atque ideo non sit posterior obice fictio- nis: non tamen sequitur esse priorem obice: illud enim solum est prius naturâ alio, quod est causa illius, vel conditio, aut dispositio, &c. character autem nullo modo est causa illius peccati: Nam licet Deus impediret influxum Sacramenti, & pro- ductionem characteris; peccatum idem fieret, vt constat. Vnde secundò impugnatur, quia in d peccatum illud in rigore est prius characteri: nam est voluntas recipiendi baptismum tunc, quando non potest esse dispositio debita, v. g. voluntas reci- piendi baptismum à Ministro hæretico, vel prohi- bito ministrare; quæ voluntas procul dubio est causa receptionis Sacramenti, & per consequens productionis characteris: Ergo non potest illa vo- luntas mala esse posterior natura ipso characteri.

16. Alij tertio respondent illud; peccatum esse post baptismum, quia licet voluntas interna præcedat baptismum; illud tamen peccatum, vt opere con- summatum; subsequitur baptismum, prius enim natura est baptizari, quam indignè baptizari, ergo peccatum receptionis indignæ subsequitur post baptismum susceptum, ac proinde illud peccatum ratione operis externi subditur clauibus Ecclesiæ. Ita P. Valquez *dicit. disp. 160. cap. 2. num. 19*. Hæc etiam responsio difficilis videtur. Primò quia, licet daremus opus externum subsequi post baptismum; si tamen voluntas interior præcedit, non videtur sufficere, vt peccatum illud sit materia Sacramenti penitentiæ: Nam voluntas saltem interna, cuius tota malitia per te præcedit baptismum; poterit virtute baptismi posse tolli cum attritione, sicut possunt in ea sententia deleri alia omnia peccata comitantia baptismum, & eodem instanti com- missa, quia hæc non subsequuntur baptismum, si autem voluntas illa interior tolli potest virtute bap- tismi, non oportet, quod opus externum tollatur per Sacramentum penitentiæ: nam ablata, & condonata voluntate interna, eo ipso aufertur to- ta culpa operis externi quod non habet aliam li- bertatem à libertate interna, atque adeo non po- test condonari culpa voluntatis internæ, quin for- malissimè condonetur actio externa.

17. Secundò probatur hoc ipsum contra eandem responsionem: quia si pro eo signo, quo fit volun- tas mala interna, homo nondum est subditus Ec- clesiæ; non sufficit esse subditum Ecclesiæ, quando ponitur opus externum, ad hoc, vt illud peccatum sit confitendum. Pone enim aliquem dedisse cau-

sam culpabilem pollutioni, & postea in somno baptizari (petierat enim antea baptismum) & post baptismum pati pollutionem adhuc in somnio; illa certè pollutio non est materia confessionis, quia licet positum sit opus externum post bap- tismum; voluntas tamen, & libertas tota posita fue- rat ante baptismum: similiter ergo in casu nostro, licet actio externa posita sit posterius natura, quàm baptismus: non tamen erit materia confessionis, quia tota libertas, & voluntas mala fuerat iam po- sita ante baptismum, si verè requiritur, quod pec- catum sit post susceptum baptismum ad hoc, vt subdatur iudicio Ecclesiæ.

18. Tertio impugnatur eadem responsio: quia sup- ponit falsum, quod scilicet tunc baptismus sit prior natura, quàm peccatum externum: hoc enim peccatum nihil aliud est, nisi indigna Sacramenti susceptio: Indigna autem Sacramenti susceptio in- cludit duo, nempe susceptionem Sacramenti, & indignitatem, hoc est, carentiam dispositionis de- bitæ; ex quibus neutrum est posterius baptismo. Non primum, scilicet susceptio baptismi, vt con- stat; neque etiam secundum, nempe carentia dis- positionis debite: Tum quia hæc carentia non causatur, aut procedit vlllo modo à Baptismo: ergo baptismus non est prior natura, quàm talis caren- tia, in quam nullo modo influit: tum etiam quia hæc carentia culpabilis dispositionis debite est for- malissimè voluntas illa contraria, vel omisso libe- ra dispositionis debite, quæ ex illa voluntate mala adeo necessariò consequitur, vt etiam si non com- pletetur baptismus, tunc esset eadem prorsus omis- sio dispositionis debite, saltem secundum existi- mationem: iam enim homo apprehendit obliga- tionem ponendi dispositionem, & omisit illam: ergo de primo ad vltimum nihil includitur in illa susceptione Sacramenti indigna, quod sit posterius natura ipsa susceptione. Verum est, quod absque susceptione baptismi non potest dari susceptio in- digna, quod erat fundamentum illius solutionis; hoc tamen non est, quia susceptio sit prior indi- gnitate; sed quia hoc complexum susceptionis in- dignæ includit duo (vt diximus) scilicet susce- ptionem, & indignationem, ex quibus vnum iam præcedebat, nempe indignitas, deerat autem al- terum, nempe susceptio Sacramenti, sine qua susceptione non potest dari illud complexum, & qua posita, datur iam complexum, quia datur vtra- que pars, ex qua solum absque alia vnione media constat illud compositum susceptionis indignæ.

Ratio denique à priori, & vniuersalis, ad hoc, vt omnia peccata, quæ sunt illo instanti baptismi prout sunt in eo instanti, non sint materia confes- sionis, videtur esse desumpta ex institutione Sa- cramenti penitentiæ, quod vt constat ex Con- ciliis & Patribus institutum est, quasi secunda ta- bula, in remedium eorum peccatorum, quæ bap- tismi lauacro auferri non poterunt. Ex hoc autem fieri videtur, quod pro iis solum peccatis institu- tum sit penitentiæ Sacramentum, quæ sunt tem- pore sequenti post baptismum susceptum; nam pro aliis omnibus potuit sufficere remedium baptismi. Per baptismum quippe applicatur pretium sangui- nis Christi, non quidem ad soluendum pro pecca- tis futuris (ad hoc enim non sunt instituta Sacra- menta) sed ad soluendum, & extinguendum omne debitum iam contractum, & præsens: sicut si Rex remittat alicui totum, quod vsque ad hanc diem debet, remittit etiam debitum, quod hac ipsa die contraxit, & quod contraxit hoc ipso momento, quo fit remissio: sic baptismus est applicatio sangui- nis Christi pro omni debito contracto. Cum ergo peccata

peccata illo instanti commissa sunt debitum verè, & realiter contractum, quando homo baptizatur: tunc enim habet verè illud peccatum; consequens est, ut ad illud etiam debitum extinguendum, extendatur virtus, & efficacia baptismi.

20.

Dicunt impossibile esse, quod baptismus institutus sit ad remittendum peccatum fictionis, quod directè impedit vim, & efficaciam ipsius baptismi. Sed contra, quia hoc in primis probat de omnibus peccatis, quæ sunt illo instanti baptismi; Nam omnia alia quatenus sunt eo instanti, impediunt vim, & efficaciam baptismi, & tamen plerique, concedunt illa posse postea tolli per virtutem baptismi præteriti. Sic ergo posset dici, licet peccatum fictionis præsentis impediatur efficaciam baptismi potuisse baptismum institui cum efficacia ad tollendum postea illud idem peccatum, à quo prius eius vis impediatur, in hoc enim nulla apparet repugnantia: sicut sanguis ipse Christi habebat efficaciam ad tollendum postea illud idem peccatum, quo ab occisionibus effundebatur, & quod pro tunc eius efficaciam impediatur. Sic aqua baptismi, quæ est quasi effusio sanguinis Christi super baptizatum, habet vim tollendi tunc, vel postea omne peccatum, & debitum hucusque contractum, etiam illud, quod baptismi efficaciam nunc impedit.

21.

Posset autem hæc ratio confirmari ex Augustino de baptism. contra Donatistas, lib. 1. cap. 12. tom. 7. ubi adducit ad hoc propositum seruum illum Evangelicum, cui *Matth. 18.* Dominus dimisit omne debitum decem millium talentorum postea verò, cum ipse conseruo suo mutuum pecuniam dimittere noller, sed acerbis pro debito eum torqueret; iterum Dominus iratus illum coniecit in carcerem propter antiqua debita. Quo exemplo dicit Augustinus significari illum, qui cum fictione recipit baptismum: nam sicut ille seruus retento odio aduersus conseruum (quod odium significatur per debitum, quod conseruo nolbat dimittere) adhuc accepit à Domino remissionem totius debiti, sic baptizatus cum peccato actuali fictionis recipit à Deo baptismum ex se totius debiti: sed sicut seruo illi non profuit remissio, quia non deposuit odium aduersus conseruum; sic nec proderit baptismus, & remissio suscepta, nisi deponatur peccatum fictionis. Notat autem Augustinus seruum illi dimissum fuisse à Domino omne prorsus debitum, quod tunc habebat, sicut in baptismo sic remissio totius debiti, quod tunc est, *Tempus ergo, inquit, quo accipitur indulgentia per baptismum, tanquam tempus est reddenda rationis, ut omnia debita, quæ inuenta fuerint, dimittantur; addit postea peccatum actuale illius serui non impedivisse, quominus Dominus ex se omnia debita, quæ in illo instanti erant, ei dimitteret. Nec tamen (inquit) quod nondum conseruo dimiserat, impediuit Dominum eius, quominus in illo tempore accipienda rationis dimitteret ei omnia, quæ debebat: sed quid profuit, quandoquidem in caput eius propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuo replicata sunt. Sic non impeditur baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittat, etiam si odium fratrum in eius cui dimittuntur animo perseverat. Soluitur enim besernus dies & quidquid supra est, soluitur, etiam ipsa hora, momentumque ante baptismum, & in baptismo. Deinceps autem res esse non incipit, &c. In quibus verbis videtur dicere solui per baptismum pro debitis præteritis, & illius etiam momenti, in quo fit baptismus, loquitur autem de debito potissimum ipsius fictionis: nam eius occasione totam illam doctrinam attulit, & hoc debitum quoad illud etiam*

Augustin.

momentum, dicitur soli per baptismum, deinceps autem incipere novam rationem debiti. Sentit ergo baptismum habere secum pretium sanguinis Christi ad soluendum pro omni debito præterito, & præteriti, etiam pro illo, quo eius efficacia illo momento impeditur.

Quod rursus obiter explicare possumus exemplo martyrij, quod in hac plena remissione peccatorum à culpa, & pœna, baptismi solet assimilari: Si autem martyr in ipsomet momento martyrij habeat peccatum actuale veniale, quod quidem in eodem instanti remitti non potest; adhuc martyrium habet efficaciam ad tollendum postea reatum eiusdem peccati: nam ablato obice peccati per retractionem in instanti mortis, statim virtute martyrij præteriti remittitur tota pœna debita illi peccato: alioquin enim potuisset aliquis verus martyr denari in purgatorio per aliquot menses pro culpa venialibus, quod videtur contra mentem Ecclesie, in qua iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Imò & in ipso baptismi possumus hoc declarare, si aliquis ex intentione vanæ gloriæ baptizetur cum contritione debita de omnibus peccatis mortalibus; hic si statim immediate post baptismum morietur, nullo peccato post baptismum commissio, non indigeret Purgatorio: nam illud peccatum veniale virtute ipsius baptismi remittitur, etiam quoad pœnam ablato obice per retractionem, dummodo post baptismum non fuisset contritum. Sic ergo de peccato illo mortali fictionis dicendum videtur iuxta mentem Augustini, quod si consideretur præcisè, quatenus existit in illo instanti baptismi potest remitti per ipsum baptismum, quando auferatur obex per sufficientem retractionem. An verò hunc effectum habeat baptismus per se, an per accidens: erit quæstio de nomine: posset enim dici habere illum per se, non primariò, sed secundariò: quia scilicet ex primaria intentione exigeret non invenire obicem peccati præsentis ex suppositione tamen, quod illum inveniat, sicut habet vim ad operandum suum effectum postea ablato obice, sic habet vim ad tollendum postea omne debitum, quod invenit quando existit, & per consequens ipsum etiam peccatum fictionis, quatenus tunc erat præsens.

Hæc, ut dixi, olim me in illam negantem partem inclinabant; placet tamen non discedere in hoc à communi sententia affirmante, peccatum hoc instanti illius instantis, in quo iam homo baptizatus est, suum mortis & charactere insignitus, debuisse pertinere ad Sacramento pœnitentiæ. Quod quidem colligere etiam possumus ex modo loquendi Tridentini illa sess. 14. c. 2. ubi Patres eorum solum peccatorum iudicium videntur Ecclesie ministris negare, quæ extra Ecclesiam fiunt: inde enim probant ministrum Baptismi non esse iudicem, sicut ministrum pœnitentiæ, quia iuxta Apostolum Paulum 1. Corinth. 5. Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare; Ergo à contrario de iis, qui non iam foris, sed intra Ecclesiam sunt poterit ipsa Ecclesia iudicare. Alioquin non rectè concluderetur, nec probaretur intentum, ministrum, scilicet baptismi non esse iudicem, quia eius ministerium ordinatur ad dimittenda solum peccata, quæ extra Ecclesiam fiunt. Nam si per baptismum dimitterentur etiam peccata aliqua, quæ sunt intra Ecclesiam; iam ex ea parte posset minister esse iudex. Deinde cap. 5. clarius, & universalius Christus dicitur reliquisse Sacerdotes suis ipsius Vicarios, & tanquam Præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint. Quæ verba universalia sunt, & comprehendunt omnia peccata mortalia

salia sunt, & comprehendunt omnia peccata mortalia, quæ quilibet Christianus commiserit. Cum ergo peccatum illud, quod fit ipso instanti Baptismi completi, sit peccatum hominis Christiani, siquidem iam tunc habet Christi characterem; consequens est, ut in illa propositione vniuersali comprehendatur à Concilio docente omnia peccata hominis Christiani debere ad Sacerdotes in foro penitentiali deferri. Accedit auctoritas Augusti, qui illo cap. 12. supra citato ad tollendum illud peccatum fictionis videtur requirere confessionem subsequenterem, his verbis. *Fuit ut non denno baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.*

Ex his Tridentini verbis colligere possumus rationem à priori pro hac communi sententia: quia scilicet peccatum illud, prout illo instanti fieret, esset verè peccatum hominis Christiani, & Christi characterè insigniti: atque adeo hominis subditi Ecclesiæ: ergo pertineret ad iudices Ecclesiæ; sicut delictum commissum in Territorio Florentino pertinet ad iudicem Florentinum.

Confirmatur, quia pro peccato commissio illo instanti posset hic homo ab Ecclesiâ excommunicari, & puniri: ergo peccatum illius instantis pertinet ad Tribunal Ecclesiæ. Consequentia videtur bona: quia Ecclesiâ etiam non potest excommunicare, nisi pro peccatis factis post Baptismum: hoc enim videtur supponi in illa propositione vniuersali, quæ habetur in Tridentino sess. 14. cap. 2. *quod Ecclesiâ in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus:* excommunicare autem aliquem procul dubio est iudicium in eum exercere; est enim proferre sententiam in illum propter eius delicta; ergo si ad hoc iudicium exercendum sufficit, quod ille homo eo instanti ingressus sit Ecclesiâ per Baptismum, sufficit etiam ad hoc, quod peccata illius instantis pertineant ad iudicium Sacramentale Ecclesiæ: alioquin posset excommunicari propter aliquod peccatum, à quo non posset absolui per Ecclesiâ, quod videtur absurdum, nam quoties censura pertinet ad clauas Ecclesiæ, à fortiori culpa, & peccatum pertinet ad easdem clauas.

Antecedens verò, quod scilicet pro peccato commissio eo instanti posset homo incurrere excommunicationem, probari potest: quia illo instanti est iam subditus Ecclesiæ: ergo Ecclesiâ habet superioritatem, & iurisdictionem in illum: hæc enim sunt correlatiua, nec potest esse subditus sine superiore; ergo illo instanti ligatur Ecclesiæ legibus, & peccare potest contra illas, ac per consequens poterit puniri ab eadem Ecclesiâ propter tale peccatum. Quod explicari, & confirmari potest exemplo religiosi, qui eodem instanti, quo emittit vota religionis, posset contra illa vota peccare, si tunc haberet intentionem aliquid accipiendi absque licentia Prælati, vel non obediendi, &c. Item coniux eodem instanti, quo contrahit matrimonium, posset peccare contra ius coniugis, si haberet intentionem fornicationis, quæ intentio habebit iam malitiam adulterij: ergo similiter eodem instanti, quo quis se subicit Ecclesiæ, posset peccare contra ius Ecclesiæ & per consequens ab illa posset iam puniri.

Respondet fortasse aliquis, negando primum Antecedens: quod scilicet homo eo primo instanti posset incurrere excommunicationem, vel aliam similem penam Ecclesiasticam: nam licet iam sit subditus Ecclesiæ, non sufficit hoc, ut possit ex-

communicari, sed requiritur etiam ut possit esse contumax, & inobediens Ecclesiæ præceptis, quibus ei talis pena imposita fuit. Præceptum autem debet imponi homini iam subdito, quare debuisset eo instanti, postquam iam subditus est, imponi ei tale præceptum ab Ecclesiâ sub excommunicatione pro signo posteriori, & rursus ipse homo pro alio posteriori naturæ deberet violare præceptum sciens, & videns censuram Ecclesiæ, quam tunc pro alio posteriori incurreret. Hoc autem est impossibile: quia homo non attendit ad tale præceptum pro posteriori naturæ post Baptismum: ad hoc enim oporteret, ut supra dixi, quod Baptismus esset causa illius attentionis ad præceptum, & violationis: quia illud solum habet prioritatem naturæ, quod est causa; vel quasi causa posterioris, in ipsum aliquo modo influendo: Baptismus autem non est causa violandi præcepti, nec attendendi ad illud; cum homo non sciat nunc esse iam Baptismum completum, vel ex eius existentia possit moueri ad apprehendendum præceptum; ergo Baptismus non est prior natura, & per consequens illud præceptum non intimatur subdito postquam subditus est, non solum posterioritate temporis, sed nec posterioritate naturæ.

Sed contra est, quia non requiritur, quod lex fiat, postquam homo iam est subditus: sufficit enim legem vniuersalem antea esse factam, quæ eo ipso perseverat moraliter, atque adeo statim ac perficitur Baptismus, illa lex posteriori naturæ incipit obligare ex se, perinde ac si pro eo signo conderetur: potest autem intelligi legem illam moraliter existere pro posteriori, & Baptismus esse causam illius, quia cum Ecclesiâ voluerit obligare omnes statim, hæc sunt baptizati: iam Baptismus requiritur tanquam conditio, ad hoc ut postea ex illa censeatur moraliter ferri de nouo in eum hominem, atque adeo pro posteriori naturæ intelligitur moraliter conditio illa lex ex voluntate Ecclesiæ præterita: datur ergo prioritas, & posterioritas sufficiens inter Baptismum, inter legem illam, ut obligantem hunc hominem.

Dices, dati quidem, & intelligi illam prioritatem, & posterioritatem inter Baptismum, & legem obligantem ex se hunc hominem: non tamen dari inter Baptismum, & intimationem talis legis, neque sufficit ad violationem legis, quod lex ex se sit condita, & obligans, nisi intimetur subdito. hæc autem intimatio est notitia, quæ subditus attendit ad præceptum: quæ notitia, seu attentio non est posterior natura, quàm Baptismus: nam licet Baptismus sit conditio, ut lex illa censeatur nunc iam moraliter comprehendens hunc hominem: non tamen est conditio, ut in hoc homine fiat illa notitia, attentio physica ad talem legem quia ut dixi, Baptismus nullo modo influit, vel excitat ad talem aduertentiam habendam: ergo illa aduertentia ad legem, seu notitia legis non habetur à subdito, postquam subditus est, nec etiam posterioritate naturæ, quod saltem requireretur ad hoc, ut posset peccare contra talem legem.

Sed contra, quia non requiritur ad violationem legis, quod inter legem, & eius violationem mediet aduertentia, & notitia: satis est, quod prius, viderit, & scierit homo pro tali signo legem ferendam cum obligatione, & voluerit adhuc facere contra illam, hoc enim posito iam pro eo signo lex incipiet obligare, & transgressio imputabitur propter aduertentiam, & voluntatem præcedentem. Quod explicari, & confirmari potest exemplis supra adductis religiosi, & coniugis, ad quorum delicta contra possessionem, vel matrimonium non est

est necesse, quod inter obligationem contractam per professionem, vel matrimonium, & eius violationem mediet aduertentia nota, & notitia factis est, quod prævideatur, posita professione, vel consensu in matrimonium, non esse licitum talem actum: tunc enim eo ipso, quod velim simul professionem, v. g. & illum alium actum, pecco contra obligationem professionis, absque eo, quod mediet alia cognitio professionis iam posita. Rursus si Ioannes se tradat, aut vendat Petro in seruum, si simul subtrahat se eodem momento ab eius potestate, aut obedientia, peccat procul dubio contra seruitutis debitum; quod tunc sibi imposuit: potest ergo Christianus peccare contra obedientiam Ecclesiæ debitam eodem instanti, quo se subditum Ecclesiæ constituit. Ratio autem vniuersalis est, quia ad hoc, vt actio mea sit licita, requiritur, quod non sit contra ius alterius: vnde vt ego licite vtar re aliqua, necesse est, quod eam alteri non vendam: si enim eam nunc Petro vendo, non erit licitus vsus illius inuito Petro: quia esset contra ius Petri, quod ex venditione acquisiuit, & habet hoc ipso instanti, atque adeo esset contra tractatio rei alienæ inuito Domino. Sic etiam, vt actio mea sit licita, requiritur, quod non sit contra ius legitimi superioris repugnantis: nam omnis actio subditi contra voluntatem iustam superioris contrahit malitiam inobedientiæ. Cum ergo Ecclesia legibus suis iam promulgatis voluerit obligare suos subditos præfentes, & futuros, eo ipso, quod aliquis vult fieri subditus, præuidet talem actionem, si fiat eo instanti, futuram contra voluntatem, & legem superioris, atque adeo non esse licitam, quia non habet illud requisitum, quod non sit contra voluntatem, & legem alicuius legitimi superioris: non potest ergo aliquis velle licite fieri simul subditus Ecclesiæ, & operari aliquid contra præceptum eiusdem Ecclesiæ: vnde peccatum illo instanti commissum pertinere utique poterit ad iudicium, & correctionem eiusdem Ecclesiæ.

Adde, licet Ecclesia non posset pro eo primo instanti aliquid subito præcipere, vel prohibere, non sequi, quod non posset de delicto eo instanti commissio cognoscere, illudque indicare, & punire, maxime in foro Sacramentali. Non posset quidem excommunicationem incurrere is, cui aliquid præcipi non posset; quia excommunicatio est pœna ob inobedientiam, & contumaciam contra Ecclesiæ præcepta: posset tamen aliis pœnis puniri iuxta quantitatem delicti: sic enim iudices sæculares punire possunt pœnis condignis crimina extraordinaria: quibus in legibus humanis pœna nulla statuta est, vt cum aliis probat P. Molina *rom. 4. de iust. & iure, tract. 3. disp. 4. n. 11. ex leg. hodie, ff. de panis, & leg. 1. ff. de effractoribus*, ad quod induci etiam possunt, quæ habentur in toto titulo *ff. de extraordinariis criminibus*. Ad iudicem enim spectat non solum præuenire prohibitione, & præcepto, ne fiant delicta; sed etiam punire, quæ sunt, vt alij terreantur. Sic ergo posset Ecclesia indicare peccata illius instantis, licet non posset illa prohibere, præsertim in foro Sacramentali, in quo de facto iudicat, & punit pro peccatis merè internis, circa quæ tamen non potest leges condere. Vnde licet non possit, vt supra dixi, ei, qui non est baptizatus, prohibere directè indignam suspensionem Baptismi, quia non supponitur aliunde subditus; posset tamen de illo peccato indicare, & illud punire in foro pœnitentiæ, quia est peccatum hominis iam Christiani, & insigniti characteris ipsius Christi, atque ideo comprehenditur in illa vniuersali propositione, qua omnia fidelium pec-

cata deferri iubentur ad Sacerdotes, tanquam ad Christi Vicarios in foro Sacramentali.

Restat nunc respondere ad argumenta, quæ adduximus ad probandum peccatum illius instantis non esse materiam confessionis Sacramentalis. Ad primum itaque petitur ex modo loquendi Concilij Tridentini, in quo sermo est semper de peccatis post Baptismum commissis, quando declaratur institutio, aut necessitas confessionis: Respondetur in primis non semper loqui Concilium cum ea restrictione, quando enim necessitatem confessionis declarauit *illo c. 5.* expressit pro materia necessaria omnia peccata mortalia, in quæ Christi fideles incidunt; in quo sensu debent intelligi, quæ dixerat *c. 2.* nam quod dixit, Ecclesiam in neminem iudicium exercere, *qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus*, verissimum est: non dicit enim, quod non possit Ecclesia iudicare de peccato, quod antequam fieret, homo non fuisset prius in Ecclesiam ingressus, sed solum dicit, quod homo debet esse in Ecclesiam ingressus, priusquam Ecclesia exerceat iudicium in ipsum. Debet ergo Baptismus præcedere iudicium, & punitionem, non verò peccatum ipsum. Debet, inquam, Baptismus præcedere, vel tempore, vel certè prioritate naturæ: nam Ecclesia potest sub graui pœna prohibere aliquod peccatum, & hac lege obligare subditum etiam pro eo instanti, quo Ecclesiæ subditur; tunc Baptismus non præcedit tempore, sed naturā illam obligationem legis Ecclesiasticæ, quatenus prius intelligitur homo baptizatus, & subditus Ecclesiæ, & pro posteriori intelligitur Ecclesiæ sua lege obligare illum subditum: ideo enim illum obligat, quia subditus est, non è contra: vnde neque hunc actum iurisdictionis, & præcepti exercet Ecclesia in aliquem, qui non prius saltem natura intelligitur in ipsam ingressus. Iudicium verò sacramentale non exercet, nisi prius etiam tempore ingressus fuerit; quæ tamen prioritas non requiritur respectu ipsius peccati, de quo iudicat, sed respectu iudicii, vt diximus.

In eodem sensu intelligi debent illa alia verba, quæ sequuntur eodem cap. 2. *si se postea crimine aliquo contaminauerint, ante hoc tribunal sisti voluit*: in quibus illud, *postea*, non debet restringi ad solum tempus subsequens, ita vt positum excludat ipsum instantem, quo Baptismus perficitur. Nam vox ipsa de se indifferens est ad vtramque significationem: sic enim dicere solemus ante solis ortum sunt tenebræ; postea verò non sunt. Item: ante usum rationis non peccat homo; postea verò peccat: vbi illud, *postea*, non includit solum tempus subsequens, sed etiam ipsum primum instantem, quod solus est ortus, vel quo primum datur vsus rationis. Volimus itaque comprehendere omne tempus sub illis vocibus, *ante & postea*, ita vt quidquid non comprehenditur sub priori, comprehendatur sub posteriori. Hoc autem sensu vsurpatam fuisse particulam, *postea*, in illo loco Tridentini, colligitur ex contextu. *Constat* (inquit) *certè Baptismi Ministrum iudicē esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi ianuam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt indicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effudit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptismo ablui, sed ante hoc Tribunal tanquam reos, sisti voluit.* In quibus verbis, omnia hominum peccata diuidit in duas classes, alteram eorum, quæ sunt *foris*, hoc est extra Ecclesiam; alteram eorum, quæ sunt postquam ho-

mo baptizatus est. Debet ergo hoc secundum membrum, ut diuisio sufficienter fiat, comprehendere ea omnia peccata, quae non sunt foris, & quorum iudicium dicitur non pertinere ad Ecclesiam, quae de iis, quae foris sunt, non iudicat. Ergo, illud *postea*, non restringitur ad solum tempus subsequens excludendo ipsum instans Baptismi perfecti, alioquin diuisio non erit adaequata, nec secundum membrum adaequatè opponetur primo, cum non comprehendat omnia peccata, quae excluduntur à primo.

33. Quod si noluieris illud, *postea*, in eo sensu ibi accipi, sed prout significat solum tempus subsequens post baptismum, ex iis verbis argui non posset contra nos: dicemus enim, Concilium ibi non loqui de omnibus baptizatis, sed de iis solis, qui dignè baptizantur, & lauacro Baptismi purgati, & sanctificati, membra Christi efficiuntur: quo certo nomine non intelliguntur, qui baptizantur indignè, i. e. in vi Theologi cum S. Thom. 3. p. *quasi*. 8. art. 3. ad secundum, communiter docent, non dicuntur propriè, & simpliciter membra Christi, sed imperfectè, dum sunt in peccato mortali. Illi ergo, qui in Baptismo sunt membra Christi, non indigent Sacramento poenitentiae, nisi ad peccata, quibus tempore sequenti sese contaminauerint. Secus est de iis, qui non abluuntur, nec sanctificantur interius in ipso Baptismo, de quibus Concilium in illis verbis non egit.

34. Denique illa alia verba, quae adduntur in fine eiusdem cap. 2. & c. 5. & can. 1. quibus dicitur hoc Sacramentum necessarium esse iis omnibus, qui post Baptismum lapsi sunt in mortale peccatum, vel debent intelligi in sensu paulò ante explicato, ita ut illud *post* includat totam durationem, quae non praecessit Baptismum, vel accipienda sunt in sensu praefinito, ita ut affirmant quidem necessitatem confessionis in illo, qui peccauit tempore subsequenti Baptismo; de peccato autem commissio illo ipso instanti Baptismi nihil dicant: quod sine doctrinae vitio fieri potuit, quando iam in eodem loco posita fuit regula vniuersalis comprehendens illud etiam peccatum sub illa vniuersalitate *omnium peccatorum hominis fidelis*, quorum confessio necessaria asseritur ex Christi institutione.

35. Ad rationem deinde desumptam ex eo, quod per baptismum applicatur pretium sanguinis Christi ad soluenda omnia debita contracta, in quibus includi videtur illud etiam debitum, quod illo ipso instanti contractum est: responderi potest negando, Baptismum esse institutum ad soluendum illud debitum, quod tunc contrahitur: nec id argui potest ab exemplo sanguinis Christi qui effundebatur ad soluendum pro illo etiam peccato, quod tunc committebatur ab effundentibus ipsum sanguinem. Si enim exemplum illud id probaret; probaret etiam, Baptismum habere efficaciam ad soluendum pro peccatis committendis tempore subsequenti, post Baptismum: sicut sanguis Christi continebat pretium ad soluendum non solum pro peccato tunc praesenti, sed etiam pro futuris. Aliundè verò Baptismum non habere efficaciam ad tollendum peccatum praesens, sed solum praeterita, colligitur in primis ex institutione Sacramenti poenitentiae, in quo Sacerdotes constituti sunt à Christo indices pro peccatis omnibus fidelium, in quorum numero includitur etiam peccatum illo instanti commissum, ut vidimus. Deinde à priori colligitur, quia, vel remissionem illius peccati causaret Baptismus per se, vel per accidens. Non quidem per se, quia Baptismus per se, & ex sua institutione exigit dispositionem in recipiente, & carentiam

P. Ioann. de Lugo de Poenitentia.

obice; ergo ordinatur per se ad illud peccatum auferendum, sed non: neque per accidens potest illud auferre; quia ad hoc necesse esset, ut remissio illius peccati includeretur aliquo modo in effectu, quem significat Baptismus, alioquin non potest illam causare, cum solum causet, quod significat, sicut omnia alia Sacramenta, quae significando causant: remissio autem illius peccati non significatur vllò modo per formam Baptismi: nam verba illa significant absolutionem, & purgationem ab illis peccatis, ad quorum expiationem ponendam exigit poenitentiam praecedentem, tanquam dispositionem, sicut absolutio Sacramentalis exigit dolorem, & poenitentiam peccatoris: quare sicut absolutio non significat remissionem peccati, quod fit eo instanti absolutionis, quia non potuit praerigere dolorem de illo peccato, cum non possit esse ante absolutionem dolor de peccato commissio ipso instanti absolutionis; ita Baptismus non potest exigere ex se dolorem, & poenitentiam praecedentem de peccato, quod fit ipso instanti Baptismi, ergo cum verba formae significant solum expiationem eorum peccatorum, de quibus praerigit dolorem, & poenitentiam praecedentem; consequens est, quod nullo modo significet expiationem illius peccati, sed aliorum, de quibus potuit praecedere dolor, & poenitentia, quam Baptismus praerigit in eo, qui baptizatur.

36. Explicatur exemplo indulgentiae plenariae, quam Pontifex solet concedere. Similiter enim in Baptismo contineri videtur indulgentia plenissima omnium peccatorum, quoad culpam, & poenam à Christo Domino, concessa. Pontifex autem concedens eiusmodi indulgentiam omnium peccatorum non comprehendit peccatum illud veniale, quod forte committeret homo eo instanti, quo indulgentiam lucratur: quia nimirum indulgentia ad suum effectum praerquirat dolorem, & retractionem peccati, quam retractionem non potest exigere circa peccatum illius instantis, cum non possit peccatum retractari eo instanti, quo fit: quare indulgentia illa, quantumcumque sit plenissima, solum extenditur ad peccata praecedentia, non ad peccatum praesens; similiter ergo indulgentia, & remissio plenissima, quam Baptismus, ex Christi concessione affert, non extenditur ad peccatum praesens, sed ad praeterita; quia circa illa solum praecedere potuit poenitentia, quam Baptismus praerigit circa peccata, quorum expiationem significat.

37. Nec obstant huic doctrinae verba Augustini ibi adducta, quibus dicit, quod per Baptismum soluitur *quidquid supra est, etiam ipsa hora, momentumque ante Baptismum, & in Baptismo. Deinceps autem reus esse continuo incipit, &c.* Vbi videtur dare efficaciam Baptismo ad soluendum pro peccato commissio in ipso instanti Baptismi. Respondetur enim, Augustinum non loqui ita metaphysicè de peccatis, quae sunt in ipso instanti ultimo, quo perficitur Baptismus, sed cum maiori quadam latitudine debito, quod homo habet, non solum antea contractum, sed etiam quandiu ministratur Baptismus, quae actio, cum sit successiua, durat per aliquod tempus. Porro; Augustinum non loqui de ultimo instanti metaphysico, probatur primò, quia ipse loquitur ibi ex suppositione doctrinae falsae, quam aduersariis concedit ad maiorem abundantiam solutionis; quod scilicet qui in statu peccati absque debita dispositione baptizatur, adhuc virtute Baptismi sanctificatur pro tunc, & mundatur à peccatis, quae tamen statim redeant propter perseuerantiam

B b tiam

Math. 18.

etiam malæ voluntatis. Sicut Seruus Evangelicus Math. 18. accepit à Domino pro tunc remissionem totius debiti, licet odium aduersus conferuum non deposuisset, protinus autem rediit totus prior reatus propter perseuerantiam prauæ voluntatis. Hac ergo doctrina supposita, non potuit Augustinus loqui de peccato, quod actu fieret ipso ultimo instanti Baptismi. Supponebat enim, quod licet antea esset in peccato, quod adhuc non retractauerat; virtute tamen Baptismi illo temporis puncto propter assistentiam Spiritus sancti, & lucem, quam Sacramentum afferret, peccata recederent, & sanctitas, atque iustitia adesset; postea verò hæc recederet, & peccata redirent: non ergo supponit, quod illo instanti fiat nouum peccatum actuale: si enim gratia Sacramenti, & Spiritus sancti præsentia effugiat pro tunc tenebras peccati habitualis; multò magis effugaret tenebras peccati actualis, quod peius est. Vnde affert exemplum illius, qui à tenebris per lucem transit ad tenebras, quem quidem lux perfundit transientem; sic eo casu post illud, inquit, temporis punctum redeunt peccata, *tangquam redeunte obscuritate, quam lux in transitu excusserat*. Non loquitur ergo de peccato quod eodem puncto temporis fiat; illud enim non recedit, quomodo enim dicitur recedere, quando actu venit, & fit?

38.

Secundò colligitur idem Augustini sensus ex illo exemplo, quod affert serui Evangelici, cui Dominus vniuersum debitum tunc dimisit. Sic inquit, in Baptismo dimittuntur (concessa scilicet falsa illa doctrina aduersariis) omnia debita, quæ inuenta fuerint, reditura statim propter perseuerantiam indispositionis. Non loquitur ergo de peccato, quod fit eo ipso instanti perfecti baptismi: quia illud peccatum, seu eius reatus, non esset debitum propriè, repugnat enim debitum esse tunc, quando est iam remissio debiti, quia per remissionem tollitur formaliter debitum, si ergo eo instanti ponitur remissio; non est debitum vllum ex illo peccato eo instanti: sed nec fuit tempore antecedenti illud debitum, cum nondum esset positum peccatum illius instantis: ergo tunc non remittitur propriè debitum illius peccati, atque adeò Augustinus non comprehendit illud peccatum, quando dicit, remitti tunc omnia debita, quæ inuenta fuerint sed loquitur de peccatis præcedentibus, quorum homo debitor fuerat, & à quorum debito eo instanti soluitur per Baptismum, & postea propter indispositionem redit.

39.

In quo etiam sensu intelligi posset S. Thomas *quest. 69. art. 10. ad secundum*, ubi differentiam agnoscit inter peccatum fictionis, & cætera peccata, ita ut cætera tollantur postea virtute Baptismi præteriti quando peccatum fictionis per pœnitentiam ablatum fuerit. *Ad secundum* (inquit) *dicendum, quod fictio non remouetur per Baptismum, sed per pœnitentiam subsequentem, quæ remota, Baptismus auferit culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismi: & etiam simul existentium cum Baptismo*. Vbi per peccata, quæ existunt simul cum Baptismo, non oportet intelligere, ea quæ sunt ipso ultimo instanti Baptismi, sed quæ sunt tempore illo, quo profertur forma, vel effunditur aqua ante vltimum instans, quæ omnia tolluntur postea virtute Baptismi, recedente fictione, & ablato obice; constituit autem differentiam inter peccatum fictionis, & alia peccata: quia fictio semper censetur perseuerare non solum vsque ad vltimum instans Baptismi inclusiue, sed etiam tempore sequenti. Idè oportet, quod tollatur per Sacramentum pœnitentiæ, vel contritionem subsequentem; reliqua verò peccata possunt coexistere

S. Thom.

Baptismo, & non perseuerare actu in vltimo instanti Baptismi; idè possunt tolli virtute eiusdem Baptismi.

Merito ergo assignatur discrimen ex hac parte inter peccatum fictionis, & alia peccata; quia fictio est voluntas suscipiendi Baptismum indebitè: voluntas autem illa perseuerat, dum suscipitur Baptismus, cum semper homo adsit voluntariè recipiens Baptismum; imò & postea continuatur, nescit enim homo, quando metaphysicè sit iam completum Sacramentum, atque adeò intentio illud recipiendi, perseuerat aliquandiu post illud susceptum, quæ intentio est peccatum fictionis indigens Sacramento pœnitentiæ, alia autem peccata possunt sæpè esse cum Baptismo absque eo: quod perseuerent post illum; nam illud etiam peccatum odij, v. g. quod committitur in principio prolationis verborum, vel ablationis dicitur propriè existere cum Baptismo; iam enim incipit Baptismus: & tamen illud peccatum non continuatur post Baptismum, imò nec coexistit vltimo complemento Baptismi. Potuit ergo Sanctus Thomas aliter loqui de peccatis aliis etiam existentibus cum Baptismo, non exigens pœnitentiam ad eorum remissionem; aliter verò de peccato fictionis, quod quia per se loquendo durat post Baptismum, indiget etiam per se loquendo Sacramento pœnitentiæ.

Solutio hæc sufficit ad defendendum sanctum Thomam. Sed credo magis iuxta eius mentem esse, si dicamus eum loqui de fictione actuali, quam dicit tolli per pœnitentiam sequentem; non tamen negat reatum eius fictionis, prout coexistit Baptismo, auferri per virtutem Baptismi præteriti, imò statim subiungit, quod remota fictione per pœnitentiam, *Baptismus auferit culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismo, & etiam simul existentium cum Baptismo*. Per quem loquendi modum videtur significare, se non loqui de remittenda culpa fictionis; quæ remissio fiat per pœnitentiam, sed de remouenda fictione, quæ impediebat effectum Baptismi: nam diuerso modo explicat effectum pœnitentiæ: & effectum Baptismi: dicit enim per pœnitentiam subsequentem, scilicet per detectionem, remoueri fictionem, & statim per Baptismum auferri culpam, & reatum omnium peccatorum, &c. In quibus verbis solum videtur tribuere pœnitentiæ remotionem fictionis actualis, non remissionem culpæ. Vnde postea subiungit, ad effectum Baptismi concurrere etiam pœnitentiam, sed solum tantquam causam per accidens, hoc est remouentem prohibens: quod de sola ablatione fictionis actualis intelligi potest; nam sola fictio actualis erit, quæ impediebat effectum Baptismi. Semper itaque loquitur de pœnitentia actuali, per quam auferatur fictio, nunquam verò de Sacramento pœnitentiæ. Videatur in quarto *distinctione 4. q. 3. art. 2. quæstionum 3. ad 2. ubi* videtur etiam illo diuerso modo explicandi effectum pœnitentiæ, & Baptismi, dum ait: *peccata præcedentia Baptismo remitti per Baptismum quoad culpam, & pœnam, quando auferitur fictio, sed peccata sequentia remittuntur (inquit) virtute contritionis, quæ fictionem amouet, quantum ad culpam, & quantum ad pœnam totaliter*. Vbi illa verba, quantum ad culpam, non coniunguntur cum verbo, amouet, proximo, sed cum verbo remittuntur. Sensus enim est: Per contritionem, per quam amouetur fictio, remittuntur peccata sequentia Baptismo, quantum ad culpam, non quantum ad totam pœnam; in quibus verbis contritionis

tionem tribuit amovere fictionem; remittere verò peccata, non nisi ea, quæ consequuntur Baptismum eodem modo loquitur in *secundo scripto super quartum sententiarum eadem disp. 4. art. 2. ad 1. quod habetur tom. 17. vbi dicit, Baptismum indigere contritione, non ut causa ad destructionem peccati actualis, sed solum ad remouendam fictionem, quæ est contraria dispositio impediens effectum Baptismi. Vbi aperte distinguit inter remotionem fictionis, ad quam conducit contritio, & inter destructionem peccati. Ergo in nostro etiam textu non videtur significare remissionem peccati fictionis per remotionem fictionis, quam tribuit penitentia subsequenti.*

Denique ad exempla martyrij, & Baptismi supra adducta, quando scilicet aliquis in ipso momento martyrij, vel Baptismi, peccaret venialiter, & statim moreretur, quod peccatum virtute martyrij, vel Baptismi deberet auferri: ad hoc, inquam, responderi potest, quod attinet ad peccatum veniale commissum in ultimo instanti Baptismi perfecti, eandem esse difficultatem. Nam sicut diximus peccatum mortale illius instantis non remitti postea virtute Baptismi, sed esse materiam confessionis sequentis, sic dicendum est de veniali, non auferri virtute Baptismi, sed posse remitti postea per confessionem, quia verè fuit peccatum hominis Christiani, & subditi Ecclesiæ: differt tamen à mortali, quia hoc esset necessarium confitendum, non verò veniale, sed posset sine ordine ad clauas deleri per contritionem, aut etiam aliquando per attritionem extra Sacramentum. De facto ergo, quando communiter dicitur eum, qui moritur statim post Baptismum, restitui via ire in celum absque purgatorio; intelligitur, si neque post Baptismum peccauit venialiter, prout potuit in illa brevissima morula vitæ peccare: neque etiam in ipso ultimo instanti Baptismi: alioquin eorum est apud omnes illum indigere purgatorio, si immediate post Baptismum commisit aliquod veniale.

De Martyre aliter dicendum est, concedimus enim ex privilegio Martyrij omnia peccata venialia ei dimitti in ipso mortis momento. Negamus tamen peccatum commissum ipso instanti martyrij remitti virtute martyrij, supponitur enim aliquid impossibile, nempe illo instanti fieri aliquod peccatum veniale. Nam instans martyrij non est illud, quo martyr offert se, vel acceptat mortem pro Christo, aut quo vulneratur, si enim hoc esset iam martyrij virtus, se extenderet non solum ad tollenda peccata illo instanti commissi, sed etiam posteriora; nam si post lethale vulnus acceptum Martyr peccet venialiter ante mortem, adhuc in instanti mortis remitteretur illud etiam peccatum, nec indigebit purgatorio, alioquin oporteret orare pro multis Martyribus, quis enim scit, an post vulnus acceptum aliquod veniale commiserint? Quod cum absurdum sit, non argueretur iam bene à martyrio ad Baptismum, cum certum sit Baptismum non habere virtutem ad remissionem venialis post ipsum Baptismum commissi. Dicendum ergo est instans martyrij esse illud, quo martyrium consummatur per mortem: martyrio enim per mortem consummato annexitur illud privilegium, & indulgentia omnium peccatorum. Cum ergo non possit fieri peccatum veniale illo ipso instanti, quo homo moritur, quia iam tunc homo non vivit, consequens est, ut non possit virtus martyrij extendi ad remissionem peccati, quod sit illo ipso instanti, quo martyrium perficitur: imò magis hoc repugnat martyrio, quam Baptismo, cum oriatur repugnantia, non solum ex defectu potentia, seu virtutis, sed etiam ex defectu

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

obiecti, quia licet possit fieri peccatum ipso instanti baptismi, nullum tamen fieri potest ipso instanti martyrij, quod est idem cum instanti mortis. Et hæc sufficiant de hoc puncto, quod ad praxim, ut diximus, reduci non potest: nunc iam veniamus ad alia magis practica.

SECTIO. II.

Aligna alia dubia de peccatis, quæ sunt materia confessionis, & præsertim de peccatis dubiis.

Primo dubitari potest de peccatis venialibus, an sint materia sufficiens huius Sacramenti? De hoc tamen diximus *supra disp. 15. sect. 1.* vbi explicuimus, quomodo ex verbis Christi, *quorum remisistis*, &c. colligatur potestas remittendi venialia, licet non colligatur potestas ad illa retinenda.

Secundò dubitari potest de peccatis, quæ iterum iam homo confessus est, & à quibus fuit ritè absolutus, an possint esse materia secundæ confessionis, de quo etiam diximus *disp. 13. sect. 3.* vbi explicuimus quomodo verificentur verba absolventi, & remittendi etiam de peccatis iam antea remissis.

§. I. Dubium incidens; *An oporteat penitentem explicare, quod peccata illa sit, vel non sit confessus?*

Solum pro praxi restat breuiter notandam circa eiusmodi confessiones, in quibus repetuntur peccata præterita, aliquos velle, quod penitens debeat explicare se iam iterum confessum fuisse illa peccata, ne confessarius decipiat, existimans illam esse materiam necessariam confessionis cum non sit. Quod quidem pendet ex altero dubio contrario: an scilicet qui facit confessionem generalem, & confitetur simul aliqua peccata commissi post ultimam confessionem, quæ nunquam prius confessus erat, debeat explicare illa peccata esse commissi post confessionem ultimam, ut Confessarius ea excipiat tanquam materiam necessariam. In quo dubio aliqui dicunt debere omnino id explicare: Imò Luthus Turrianus in *opusculis Theol. centur. Theol. 4. dub. 7.* dicit contrariam sententiam non esse probabilem, nec tutam in praxi, sed potius perniciosam bonis moribus. Huius autem censura adeò rigida nullam protulit rationem affert, nisi quod sæpe necesse est explicare tempus, quo peccatum commissum est. Primum si sit reseruatum commissum à Religioso, quod ab eodem in sæculo commissum non est reseruatum. Secundò, si penitens nunc sit in proxima occasione peccandi, & iterum relabendi. Tertio, si penitens habeat consuetudinem præsentem peccandi, debet illam explicare, ut Sacerdos applicet illi medicinam, & iudicet, an sit dispositus ad absolutionem.

Ceterum excessit hic Auctor in censura absque fundamento. Ad primum enim, & secundum facile responderetur, tunc esse obligationem, non quidem dicendi, an sit confessus iterum illud peccatum, sed an sit reseruatum, vel an habeat occasionem proximam, quæ quando potest relinqui, arguit illud peccatum, imò indispositionem præsentem, si non relinquitur. Ad tertium: supponit falsum, quod penitens ex se debeat dicere consuetudinem præteritam, nisi interrogetur cum iam peccata præterita ritè confessus est. Alij ergo melius negant talem obligationem penitentis, ut debeat explicare non fuisse antea se confessum illa peccata. Ita Bonacina *disp. 5. de Sacram. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 4. n. 5.*

Bb 2 Homobonus